

NUMMUS VOTIVUS

ISABELLÆ, CAROLI V. UXORIS,

effigiem cum emblemate referens: Cusus in honorem illius ab Imperatore. Anno

Christi 1539. aut

circiter.



Eontius, Philosophus Atheniensis, ubi suprema sibi imminere fata ex morbo præsensit, filios geminos hæredes scribit: de filia Athenaide sic testatur: *Athenaidi filia dulcissima centum, non amplius, aureos lego: sufficit illi fortuna sua: qua muliebri genus omne facile antestat.* Quantò vero rectius postremum hoc de Isabella quis usurparit, Emanuelis Portugaliæ

Regis filia: Caroli V. Uxore, in qua præter formam ad invidiam elegantem, ita cum prudentia morum probitas certabat: cum humanitate gravitas: ut, cui primæ has inter virtutes dotesque deferendæ partes essent, meritò ambigeretur? Quin & prole copiosa maritum beavit, natis ex se Philippo II. Hispaniarum Rege, Joanne, & Ferdinando: qui ambo in juventute obierunt: Maria, Maximiliani II. & Joanna Joannis III. Lusitaniæ Regis uxoribus. Charitum itaq; Trigæ equiparare eam, aut etiam anteferre Imperatori placuit: rosâ notare florem ætatis: myrto fecunditatem: glande moderationem in summâ fortuna: urnâ perpetim fluente stirpem generis: Diis Laribus divinam providentiam: quasi augustiora sint, quàm humana, qua Principibus bona obtingunt. Extinguitur partus doloribus. 1. Maij Anni 1539. ætatis 40. matrona omnibus charissima: quam quo viventem amavit ardentius, eo mortuam sanè flevit acerbius Imperator. Mortem illius præcessit stella crinita si-
ve Cometa, qui obitum Augustæ portendere videbatur. Sleidanus

Author.